

COROLLARIA

in gratiam Disputantium adjecta.



1. *A*stra quidem lumine, calore, motu, agunt in hæc sublunaria, nequaquam tamen influentiâ, quæ sit fortunæ prosperæ vel adversæ designatrix, nedum operatrix.

2. Tempestas in Zona Torrida non minus ac in Frigidis, stas habet rationes; in Zonis Temperatis, præsertim circa medias partes, ob inæqualem aeris frigidi calidiq̃ue misturam, irregularis est, nec è cœlo prædici potest, nisi quoad generalem æstatis, hyemis, autumi, veris, distinctionem.

3. Etiam si stellæ nullâ nos afficiant influentiâ, signorum tamen rationem egregiè tuentur, quando præter dierum & annorum in universo mundo definitionem naturalem, etiam plagas motuum designant, sine quâ designatione vagi potius oberraremus in peregrinis terris, imò domi, quando nivibus omnia teguntur, nedum in mari, quàm ut scopum nostrum attingeremus: nec acus magnetica sine signis his cœlestibus adhiberi posset.

4. Qui versus ortum navigant circa terram, domum reversi uno die plus numerant; qui versus occasum, uno die minus, quàm ii qui domi manent. Vtriq̃ue si in medio itinere sibi mutuò occurrunt, uno die differunt; si in fine, (qui cum initio communi coincidit,) duobus diebus differunt. Hinc Lusitani cum Castiliensibus in India conversantes, dum alteri festum inter profestos utrinq̃ue diem celebrant, alteri profestum agunt; & omnes Christiani, non ex Americâ profecti, diem Dominicum, cum Sabbatho judæorum huc ex Americâ delatorum coincidentem habent.

F I N I S.